QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS DECIMA NONA DECEMBRIS.

M. VICTORE PALV, Doctore Medico Moderatore.

759

Est-ne calor [...] *ntis causa* μαράνσεως?



VOTIDIE morimur: Vitam, vt & vmbra corpus, mors certa pedetentim sequitu[r] [...] a permansio est calidi in humido, vt subiecto non vt pabulo: Hæc eiusdem est extinctio quæ σβέσει tantùm in[...] ducitur vel μαράνσει. Vtrinque impetus fit ab alio: sed σβέσει calor, licet ἀνάλογος τ[...] [στοι]χείων στοιχείῳ, extinguitur à contrario: μαράνσει idem aëreus non igneus dissipatur à simili. Hinc prima mali labes. Vita hominis septem dierum, si non iactura resarciatur, & ascititio humido p[...] [ali]enium reparetur: At dum continuâ actione obsolescit calor ei insitus, adeóq; ab alimentis primò dissimilibus vicissim patitur; fit vt acceptum expenso non respondeat, & vitalis ille thesaurus se[...] [a]teratur, nisi excrementorum copiâ priùs calor obruatur, aut eorumdem incendio humidum præproperè deuastetur. Ita semper alterum alterius ruinam trahit, quæ tam arctâ necessitudine in[...] iunguntur, vt vnum efficiant ad vitam apprimè necessarium. Hæc quippe primaria est animæ sedes, hoc principale instrumentum, quo facultas vegetatrix vna materiam alterat, vincit & terminat [...] esque primùm fingit, deinde auget & conseruat, imò redintegrat: idem viuentis formæ nutu & auspiciis tantùm agens, sui exitium quoquo modo moliri nescit: calefacit sed sine sensu; non vrit [...] nec *quærit vt absumat*, verùm *absumpta requirere tentat*.



N animalibus præter insitum illum calorem, datus est alius à corde ceu fornace quo[...] [...]sum influens, vagis in spiritibus (quos animales tantùm & vitales agnoscimus) vitâ tamen carentibus, consistens, ventilatione indigens, sensúmque feriens: cuius beneficio animales operation[es] [...] nino perficiuntur, & naturales plurimùm adiuuantur, præsertim quæ ipsis animantibus peculiares sunt coctiones & excrementorum vacuationes. Vnde hunc æquiùs animalem dicas quàm vitalem [...] mquam & hoc nomen sibi quoque meritò vendicat, quandiu moderationem seruat. Ille ipse infixum, cui affinis est & in origine ac essentiâ elementari planè similis, excitat ac refocillat, sic vt eo d[...] tæ partes frigeant torpescantve, neque tamen statim emoriantur; ab eius scilicet priuatione facilis est ad habitum reditus. Eiusdem beneficio parti laboranti opem ferunt cæteræ, omniúmque con[...] o vna est, quæ propterea in perfectis animalibus separatæ non viuunt. Cœlestem putarem si daretur aliquis: nullum est apud nos Promethei furtum. Ventres hyeme naturâ calidiores, tum co[...] antiperistaseos lege, tum leuiori ambientis in humidam substantiam impressione: si tamen natura parùm sit robusta, metuenda hyeme σβέσις, quemadmodum æstate μάρανσις.



N plantis non alia quærenda est αὐάνσεως causa quàm hæc ambientis externi iniuria [...] llæ in regionibus temperatis & lætiores cernuntur & viuaciores. At animalia aliam præterea τοῦ γήρατος causam intra se circumferunt, calorem illum influentem, qui etiamsi beneficus, insito cons[...] & amicus, fieri tamen non potest quin, cùm igneus sit, & seorsim ab anima, licet ab eadem directus, operetur, propriam quoque dissipandi exiccandíque vim prædatorius exerat, vitalem succu[m] [...] bat, sicque tandem tabem, quamuis aliud agens, accersat: Est & non est. Quod insitus iugiter reponit, hic cum externo exhaurit: Vita circulus est, imperfectus tamen ac velut spiralis ad idem pun[ctum] [n]unquam remeans. Sæpius incandescant spiritus irâ, impotēti amore, motu corporis immoderato, aliisque eiusmodi, hominem macerari videbis atque confici. Quòd si in iis insuper qualibet de[...] [in]tentior euadat calor & acrior, fit febrilis ac vstulator, ita vt qui priùs ad putredinem quasi naturalem tacitè ducebat, tunc morbosam, à quâ spiritus ipsi immunes non sunt, celeriter inducat: Sic soli[...] febri & synocho imputri, putris citò succedit; inflammationi gangræna; ac omnino materiæ vitio diu carere non potest intemperies calida. Interim dum ardent humores & spiritus, *flammâ M[...] ab illâ vritur*, & octo dierum spatio plus de humido decedit, quàm aliàs deperiisset longo annorum circuitu: Vnde senectus ex morbo, attamen vtcunque reparabilis, siquidem insitus in partib[us] [...] dis calor tonum seruarit; alioquin si à naturâ desciuerit, fit hostis minimè reconciliandus, nec vllâ arte in gratiam rediturus: Inde hectica consummata & insanabilis, cuiusmodi nunquam primùm [...] dit, & solâ ægrotantis aut medentis culpâ contingit.



ST igitur μάρασμος φθορὰ ζῶντος σώματος ἐπὶ ξηρότητι, seu breuiùs, *putredo viuentis*, ni[...] φθορὰ τ[οῦ] ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ, οἰκείας κατὰ φύσιν θερμότητος, ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος. Hæc definitio Aristotelica, quæ à Galenicâ nihil re-ipsâ distat, quamlibet putredinem comprehendit; cuius species dua[s] [...] gendi aut patiendi modo, sed tempore tantùm distingui volumus. Vtriusque genus idem, differentia eadem & causa: cætera nihil moramur. Esto alia καθ' ὅλου, alia κατὰ μέρος: Illa omnibus mixtis [...] nunis (non tamen necessaria) & simplici ortui contraposita; hæc minimè, quamquam frequentior & sensibus ac vulgo notior: Illa contagiosa non sit; hæc maximè, quâ fere putent quæ putrent: illa [...] nimodam dissolutionem terminetur; hæc ad alterius mixti generationem: illa denique semper vna eadémque sit; hæc totuplex, quotuplex rerum putrescentium conditio occurrit. Vt putredo nu[...] nullus marcor propriè naturalis; & si rem bene æstimemus, corruptio omnis violenta est, siue causas naturaliter operantes consequatur, siue non. Caue combustionem cum σήψει confundas: μα[...] ex febre ardente & syntecticâ, non tam μάρασμος est quàm incendium.



T in artibus ignis, sic in viuentibus calor faber est & facultas quâ anima ἐνεργεῖ, pote[ntiam] [...] ue in actum educit: Et quò illæ plures aut præstantiores, eò vberior à naturâ nulli nouercâ datus est. Cernis varios viuentium ordines, tot sunt diuersi caloris natiui gradus. In animalibus affluit lucul[entus] [...] à foco communi: in plantis insitus sufficit, neque is in omnibus æqualis, aut semper exuperans. Naturæ parùm conuenienter philosophantur, qui hunc à suo humido abstractum intelligunt, cum [...] uit, nutritur, idémque numero toto vitæ decursu permanet. Flamma etiam Vestalis licet eadem videatur, agente tamen in suum, quod è cremio expirat, pabulum calore, in perpetuo generationis [...] est, quæ proinde non tam augeri multiplici proportione, quàm generari dicenda: sibi nimirū continua succedit *more fluentis aquæ*. Falleris qui putas viuentium substantiam totam sic reuolui. Axis [...] à quem vita vertitur, quique motu atteritur non tam suo quàm alieno: hoc carent mixta inanimata, quæ proinde recto tramite ab ortu ad occasum vergunt. In iis elementa actu minimè rem[issa] [...] ia & formæ mixti mancipata, amicè in vnum conspirant: Tolle ambientis actionem; à naturali interitu omnia vindicabis: Hinc aurum, quia arctissimo mixtionis vinculo partiúmque compactio[ne] [...] ius vim eludit, putredinem non sentit, ne quidem illam καθ' ὅλου. At certè viuentium substantia rara & dissipabilis, citò vtrinque dissolueretur, nisi à calore proprio & similari foueretur, qui dum an[...] [s]eu formæ subiicitur, ab eáque ad reparationem & vitæ tutelam destinatur; non aliter causa marcoris esse potest, quàm frigoris Sol recedens.

Ergo non est cal[...] *entis causa* μαράνσεως. 205.

Ponebat Lutetiæ CLAVDIVS GERMA[...] Parisinus, A. R. S. H. M. DC. XXX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus Guillemeau M. R. Ord.
M. Franciscus Mallet.
M. Iacobus Iouuin.

M. Petrus [...] *re.*
M. Herm[...] *de Launay.*
M. Philipp[...] *arduinus de S. Iacques.*

M. Dionysius Guerin.
M. Ioannes Riolan. P R.
M. Andreas le Gros.

